DE

# ORATIONE PRO POLYSTRATO LYSIACA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT


AUGUSTINUS POHL

SIGMARINGENSIS.



ARGENTORATI

APUD CAROLUM TRUEBNERUM.

MDCCCLXXXI.

PARENTIBUS · CARISSIMIS

S

In corporis Lysiaci oratione vigesima tractanda magnae oboriuntur difficultates. Neque enim a quo oratio pro Polystrato habita, quae illo loco extat, profecta sit, inter viros doctos constat, neque ipsum argumentum, quod versatur in gravissima rerum Atticarum conversione illustranda, ab auctore quisquis fuit ita tractatum est, ut omnia facile intellegi et cum reliquis veterum testimoniis conciliari possint; denique orationis forma solutior est nec satis dilucida. — Quibus in rebus disceptandis cum a viris doctis nuper multum studii collocatum esse intellegerem, nonnullas tamen res minus diligenter examinatas esse iudicarem, auctore Rudolfo Schoellio, praeceptore carissimo, eius quaestionis solvendae periculum denuo suscepi, in qua primum ingenii vires experirer.

Sed ut disputationis nostrae argumentum planius eluceat, capite primo agetur de muneribus a Polystrato gestis, altero quaeremus de litium, quae Polystrato subeundae fuerint, natura ac ratione, tertio disputabitur de tempore, quo orationem scriptam esse statuendum sit, postremo disseremus de orationis forma deque eiusdem auctore.

## I.

Priusquam ad rem ipsam quae proposita est accedam, de argumento orationis et de Polystrati persona nonnulla afferenda videntur.

Polystratus cum usque ad annum 411 rempublicam non capessivisset, eo tempore, quo quadringenti rerum potiti sunt, summam ei dabat operam. Atque haud exiguam partem eum habuisse dominationis quadringentorum ex tota oratione manifestum est. Nam electorem (*καταλογέα*) fuisse

Polystratum ad quinque milia civium, qui contionem efficerent, prodenda destinatum affirmat auctor eundemque, ut omnium popularium animos sibi conciliaret, pro quinque milibus novem milia designasse. Deinde senatorem inter quadringentos factum, cum senatum per octo dies frequentasset, profectum esse Eretriam ibique in pugnis navalibus fortiter dimicasse, Athenas non rediisse nisi quadringentorum imperio iam sublato narratur. Praeterea etiam praefectum Oropi eum fuisse orator praedicat ibique rem suam strenue gessisse. — Redintegrato populari imperio Polystratus accusatus hac oratione apud iudices defenditur.

Ut ordinem orationis sequamur, primum muneris a Polystrato gesti mentio fit § 1 sq. *ἀλλ' εὖνοι ὄντες* (sc. quadringentorum nonnulli) *εἰςῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον, ὧν εἷς ὢν οὑτοσὶ τυγχάνει Πολύστρατος. οὗτος γὰρ ᾑρέθη μὲν ὑπὸ τῶν φυλετῶν ὡς χρηστὸς ὢν ἀνὴρ καὶ περὶ τοὺς δημότας καὶ περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον.*

Hunc locum qui recte percensuerit, verbis *οὗτος γὰρ ᾑρέθη* de nulla alia re quam de quadringentorum electione auctorem cogitare intelleget, de quibus quidem solis antea mentio facta est. — Dicit enim auctor non omnibus quadringentis irasci debere Athenienses; neque enim omnes inique se gessisse, fuisse etiam qui populi causam agerent: atque eorum in numero Polystratum fuisse tribulium creatione satis probatum.

Atqui huic rerum narrationi quam scriptor profert omnino repugnare videntur, quae a Thucydide [1]) aliisque auctoribus de quadringentorum electione narrantur. Thucydides enim refert Pisandrum rogationem tulisse: *προέδρους τε ἑλέσθαι πέντε ἄνδρας, τούτους δὲ ἑλέσθαι ἑκατὸν ἄνδρας, καὶ τῶν ἑκατὸν ἕκαστον πρὸς ἑαυτὸν τρεῖς*: i. e. quadringentorum senatum eo modo compositum fuisse, ut quinque praesides (*πρόεδροι*) a populo creati centum senatores deligerent, qui ternos sibi quisque adsciscerent. — Quae si recte se habent, aut orator res male turbasse censendus est, aut

---

[1]) VIII, 67.

certe Polystratus diverso atque ceteri senatores modo per tribules senator creatus esse.

Has difficultates Thalheimius [1]) tolli arbitratur hoc modo. Cum constet quadringentos a populo creatos non esse, verba § 2 *οὗτος γὰρ ᾑρέθη κτλ.* referri non posse ad Polystratum senatorem, sed muneribus electoris et senatoris consulto conturbatis auctorem intellegi velle Polystratum, cum a tribulibus elector creatus esset, in senatum venisse. Nam et munus electoris minus invisum fuisse et hoc modo summum crimen, quod senator extiterit Polystratus, infirmari.

Quam sententiam ut probet, affert verba § 14: *οὗτος δὲ οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν οὔτε καταλέγειν, ἀλλ᾽ αὐτὸν ἠνάγκαζον ἐπιβολὰς ἐπιβάλλοντες καὶ ζημιοῦντες· ἐπεὶ δὲ ἠναγκάσθη καὶ ὤμοσε τὸν ὅρκον, ὀκτὼ ἡμέρας εἰςελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον ἐξέπλει εἰς Ἐρέτριαν.* — His enim verbis duo Polystrati munera tanquam in unum coniuncta fingi nec accurate discerni, utrum verba *οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν* et *ἐπεὶ ὤμοσε τὸν ὅρκον* ad iusiurandum pertineant, quo Polystratus tanquam senator an quo tanquam elector obstrictus fuerit. Simili igitur modo oratorem illo quoque loco § 2 auditores in opinionem adducere voluisse Polystratum ut electorem in senatum venisse.

Assentitur Thalheimio Albrechtius [2]), qui ita argumentatur: si verba *ὤμοσε τὸν ὅρκον* propter ea quae subiciuntur ad iusiurandum, quo Polystratus obligatus sit senator, referenda esse idemque respici verbis *οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν* statuimus, sequeretur aut Polystratum illud iusiurandum prius dedisse quam *καταλογέως* munus susciperet, itaque duo munera eodem tempore administrasse, id quod ne sub quadringentorum quidem imperio accidisse verisimile esset, aut actorem, qui commemorare vellet patrem suum coactum esse, ut utrumque munus susciperet, perverse munus posterius priori anteposuisse. Itaque his verbis agi de sacramento, quo obligatus sit Polystratus tanquam elector: consulto igitur

---

1) Des Lysias Rede für Polystratos, Vratislaviae 1876, p. 6 sq.

2) De Lysiae oratione vigesima, Berolini 1878, p. 16 sqq.

confundi ab oratore munera electoris et senatoris. Porro simili modo eodemque consilio callido illis quae § 2 leguntur auctorem auditores in eandem opinionem adducere velle.

Possunt autem secundum hanc coniecturam verba § 2 aut ita accipi, ut sumamus Polystratum ne fuisse quidem senatorem, sed electorem creatum senatum adiisse — quae sententia Thalheimio minus placet: id enim auctorem diserte expositurum fuisse, non tecte indicaturum — aut ita, ut Polystratum senatorem quidem factum esse eo quo Thucydides describit modo quadringentos electos esse, sed praeterea electorem creatum esse a tribulibus: idque probabile videtur Thalheimio (pag. 7).

Equidem autem in sacramenti mentione (§ 14) duo illa munera confusa esse nego. Nam verba *ἐπεὶ — ὤμοσε τὸν ὅρκον, ὀκτὼ ἡμέρας εἰςελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον* omnino non possunt non referri ad sacramentum, quo senator obligatus est Polystratus. Quale sacramentum, ut verba Thucydidis [1] *εὐχαῖς καὶ θυσίαις καθιστάμενοι εἰς τὴν ἀρχὴν ἐχρήσαντο* (sc. quadringenti) innuunt, quadringenti omnes iuraverunt. Hoc autem quadringentorum sacramentum, ni fallor, repetendum est ex iure publico Atheniensium, in quo cautum erat, ut omnes senatores iureiurando obligarentur *κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν* [2] vel *τὰ βέλτιστα συμβουλεύσειν τῇ πόλει* [3]. Atque verba § 1 *εἰςῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον* dicta esse de senatoribus, qui in curiam conveniunt, nemo dubitat: probabile igitur est verbis *οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν οὔτε καταλέγειν* idem respici. Ubi quod verbum *ὀμόσαι* antepositum est verbo *καταλέγειν*, inde non efficitur sacramentum intellegi a Polystrato datum antequam munus electoris iniret. Sed orator suo iure priorem posuit rem graviorem, de qua in hac causa inprimis agitur. Intererat enim Polystrati probare se omni modo recusavisse sacramentum senatorium, i. e. senatorem fieri noluisse, nec munus electoris nisi invitum suscepisse.

---

[1] VIII, 70.

[2] Xen. mem. Socr. 1, 1. 18.

[3] Lys. adv. Philon. 1; cf. Dem. in Timocr. 144.

Hoc modo si rem interpretamur, id quod fieri potest verborum ordine ac sensu omnino servato, uterque locus satis intellegitur.

Certum est ad verba *οὗτος γαρ ῃρέϑη*....... (§ 2) nihil aliud suppleri posse nisi notionem senatoris. Certe oratori, si senatoris munus cum munere electoris confundere consulto voluisset, aliqua *καταλογέως* mentio initio facienda erat.

Neque de electione *καταλογέων* per tribules facta quicquam novimus. Thalheimius quidem contendit quadringentorum dominatione perterritos cives non ausuros fuisse quemquam eligere, qui senatui minus placeret; quo facilius concedere potuisse senatores, ut electores a civibus crearentur. Sed haec quam sint infirma, apparet.

Aliam Albrechtius reiecta Thalheimii sententia coniecturam in medium profert (pag. 18, 35 s. f.).

Cum constet senatum quadringentorum a. Ol. 92, 1 exeunte rerum Athenis potitum et per initium anni insequentis dominatum esse, probabile videri eum secundum certum Atheniensium morem sicut reliquos magistratus initio a. Ol. 92, 2 renovatum esse. Potuisse autem inter eos, qui prioribus senatoribus successissent, Polystratum quoque esse. Atque hos alteros senatores videri a tribulibus electos esse.

Sed ut omittam, quod omnium, qui de his rebus scripserunt, auctorum nemo talem rem sane gravissimam tetigit, quo modo tibi persuadere possis quadringentos praeceptis iuris publici Atheniensium obsecutos, postquam duos fere menses res moderati sunt — nam quattuor omnino menses imperium tenuerunt —, se dominatu abdicare atque totam rem ad populum deferre in animum induxisse? Sane hoc prorsus improbabile est.

Has autem difficultates cum solvi posse diffiteretur, A. Hugius [1]) eo processit, ut totam § 2 tanquam adulterinam delendam esse censeret.

---

[1]) Ienaer Literaturzeitung 1876 n. 546.

Relinquitur una R. Schoellii sententia, qui existimat [1]) Polystratum, cum καταλογεύς fuisset, octo diebus ante Euboeae defectionem iam debilitata potentia quadringentorum per tribulium suffragia suffectum esse senatorem.

Atque numerum quadringentorum initio constitutum eumque immutatum fuisse pro certo habemus; nullo igitur alio modo Polystratus in numerum senatorum venire poterat, nisi si sufficeretur pro senatore altero, qui morte abreptus vel alia causa impeditus senator esse desiisset. Neque a vero abhorret quadringentos fractis iam opibus, ut sibi conciliarent populum, senatorum in locum aliorum sufficiendorum electionem tribulibus permisisse; praesertim cum pauci senatores ex illorum arbitrio suffecti reipublicae gubernandae rationem evertere non valerent.

Haec rerum interpretatio defenditur simili exemplo e posteriore rerum conversione desumpto, quod praestat plebiscitum Tisameni (a. Ol. 94, 2/403) quo de electione nomothetarum agitur. Qui nomothetae quingenti non contionis suffragiis sed in paganorum conventibus creati esse dicuntur: τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο [2]). — Tenendum est autem et post reditum popularium et eo tempore, quo quadringenti summam reipublicae tenebant, legitima comitia Athenis non fuisse. 'Nam trigintaviri — ut Schoellii verbis utar — ter mille cives solos in partes rerum publicarum vocarant eisque in numeros distribuendis laterculum civium contionis participum ex libidine aliis nominibus sublatis, aliis interpolatis corruperant'; — quadringentorum tempore pariter comitia sublata erant nec nomina quinque milium contionis participum unquam edita sunt. Itaque cum πίναξ ἐκκλησιαστικός praesto non esset, electiones fieri non poterant nisi ex tabulis lexiarchicis apud magistros pagorum servatis, quibus ius suffragii agnosceretur: inde factum, ut tributim cives suffragia ferre iuberentur.

---

[1]) Commentationes in honorem Th. Mommseni pag. 457 n. 13.

[2]) Andoc. 1, 84 sq.

Hac interpretatione accepta reliqua facile explicantur. Iam apparet, quid sit quod Polystratus per octo tantum dies senatum frequentavit, et verba quae legimus in § 1 et 2 bene cohaerent neque opus est artificiosissima Thalheimii interpretatione. Certe nullo negotio intellegitur ex re fuisse oratoris illum electionis modum diserte proferre, qui Polystrati causae prodesse debebat.

Transeamus ad id munus quod commemorat auctor § 6: *οὗτος πρῶτον μὲν ἄρξας ἐν Ὠρωπῷ οὔτε προέδωκε καὶ ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε, τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι ἦρχον, καταπροδόντων τὰ πράγματα.* Primum igitur munere functum Polystratum Oropi rempublicam neque prodidisse neque immutavisse ait, cum ceteri omnes, qui cum potestate fuissent, res prodidissent.

De Oropo urbe haec memoriae prodita sunt. Cum bello diuturno de hoc oppido certatum esset inter Boeotos et Athenienses, hi fere a. 508 urbe potiti sunt. Ager partim assignatus est colonis Atticis (*κληρούχοις*), partim cives Oropii fundos fruendos conduxerunt [1]. Ita fere res se habebant priore belli Peloponnesiaci tempore, ut Thucydidis locus [2] satis declarat: *παριόντες δὲ Ὠρωπὸν τὴν γῆν Γραϊκὴν καλουμένην, ἣν νέμονται Ὠρώπιοι Ἀθηναίων ὑπήκοοι, ἐδῄωσαν*: quo tempore Lacedaemonii cum ex Attica per Boeotiam reverterentur, agrum Oropium vastaverunt. Hieme vero a. Ol. 92, 1/411 exeunte urbem Boeotis traditam esse idem Thucydides narrat [3]: *Βοιωτοὶ δὲ τελευτῶντος ἤδη τοῦ χειμῶνος Ὠρωπὸν εἷλον προδοσίᾳ Ἀθηναίων ἐμφρουρούντων· ξυνέπραξαν δὲ Ἐρετριέων τε ἄνδρες καὶ αὐτῶν Ὠρωπίων ἐπιβουλεύοντες ἀπόστασιν τῆς Εὐβοίας.* — Quo num referenda sint quae auctor orationis refert verbis supra exscriptis (§ 6), quaeritur. Certe Thalheimius (pag. 7 sq.) omnino negat aut proditionem Oropi, cuius Thucydides mentionem facit, aut munus quoddam peculiare a Polystrato Oropi gestum ab oratore respici, sed coniunctis rebus, quae

1) cf. v. Wilamowitz-Moellendorff. in Herma Berol. XII pag. 343.

2) II, 23.

3) VIII, 60.

gestae narrantur in § 6 et 14, statuendum esse unum tantum munus Polystrati fuisse, praefecti classis Eretriensis. Neque enim verba Thucydidis *Ἀθηναίων ἐμφρουρούντων* intellegi posse nisi ita: '*trotz einer Athenischen Besatzung*', ut omnino non agatur de proditione Atheniensium; Thucydidem enim, si Atheniensium proditionem significare voluisset, dicturum fuisse *Ἀθηναίων τῶν ἐμφρουρούντων*.

Hanc opinionem recte refellit Albrechtius (pag. 13), cuius ratione ac verbis potissimum utar. Neque enim quicquam obstat ne interpretemur verba *προδοσίᾳ Ἀθηναίων ἐμφρουρούντων* '*durch Verrath zur Besatzung gehöriger Athener*', 'neque si genetivus *Ἀθηναίων ἐμφρουρούντων* disiungitur a *προδοσίᾳ*, video qui suppleri possit nisi Oropiorum; sed is aperte pugnat cum enuntiato quod sequitur *ξυνέπραξαν δὲ Ἐρετριέων τε ἄνδρες καὶ αὐτῶν Ὠρωπίων ἐπιβουλεύοντες ἀπόστασιν τῆς Εὐβοίας.*' — Ergo de proditione Atheniensium illo loco agi certum est.

Deinceps Thalheimius (pag. 8) Reiskium secutus *προέδωκε* § 6 non proprie significare proditionem, sed fere idem valere atque *ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε* voluit. Sane si statuas Polystratum ante Oropi proditionem munus illud gessisse, laudes, quibus auctor reum prosequitur: *οὔτε προέδωκε κτλ.* inanes esse, verbis autem *τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι ἦρχον, καταπροδόντων τὰ πράγματα* mendacium contineri, cum insidiae optimatium ad Oropum ante quadringentorum tempus proditum referri non possint.

Atqui verba *τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι ἦρχον, καταπροδόντων τὰ πράγματα*, pariterque quae praecedunt (§ 5) *οὐ γὰρ οἱ καλῶς ἄρχοντες προὐδίδοσαν τὴν πόλιν, ἀλλ' οἱ μὴ δικαίως*, denique Thucydidis locus, quem modo tractavimus, fidem faciunt agi de proditione. — Sed etiamsi cum Reiskio et Thalheimio verbum *προέδωκε* ita accipiendum sit, ut idem fere valeat atque *ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε*, ne sic quidem evincitur Polystratum munus Oropium non gessisse ante oppidum proditum. Potuit enim suo iure orator, ut reum benevolentiae iudicum commendaret, monere, quanta diligentia Polystratus omnibus muneribus cum sub ipso

quadringentorum imperio tum iam antea functus esset, eundemque affirmare, etsi munere Oropio se abdicavisset urbe Boeotis nondum tradita, illud munus non ita gessisse, ut paucis serviret populique imperium everteret. Nec quicquam ad rem valet, num revera appropinquante iam hieme a. Ol. 92, 1 Oropi optimates rebus novis studuerint, id quod haud multo post in sociorum Atheniensium urbibus factum esse scimus [1]. — Verbis autem *τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι ἦρχον, καταπροδόντων τὰ πράγματα* auctor haudquaquam de collegis Polystrati in magistratu Oropio cogitavit, sed de eis omnibus, qui vel sub ipso quadringentorum imperio vel iam antea domi militiaeque magistratum gerentes paucorum imperium foverant.

Inprimis autem Thalheimii sententia nititur verbis § 6 *οἱ δ᾽ οὐχ ὑπέμειναν καταγνόντες σφῶν αὐτῶν ἀδικεῖν· ὁ δὲ ἡγούμενος μηδὲν ἠδικηκέναι δίκην δίδωσι,* quibus affirmatur Polystratum quidem ipsum actionem subire atque res a se gestas defendere, alios vero effugisse itaque culpam confiteri. Ubi cum praesens ipsam, in qua haec oratio habita sit, actionem significet, agi non posse de munere, quod Polystratus ante quadringentorum imperium gesserit. De praesenti enim lite ut verba quae sequuntur *ἐκκλέπτουσιν* et *ἀποφαίνουσι*, ita verbum *δίκην δίδωσι* accipiendum esse. Atqui permirum fore, si Polystratus muneris, quo multo antea functus sit, tunc demum longo temporis spatio praeterlapso rationem reddere dicatur. — Neque eiusmodi opinioni convenire quae sequuntur § 17, ubi narratur Polystratum in pugnis Eretriensibus optime se gessisse, additur *ἀλλὰ πάντα μᾶλλον κατηγοροῦσιν ἢ εἰς τὴν ἀρχήν.* Quo loco, si quidem Polystratus propter munus Oropi gestum accusatus esset, dicendum fuisse *ἢ εἰς ταύτην τὴν ἀρχήν*, ut munus Eretriense ab Oropio disiungeretur. Itaque scriptorem potius utroque loco (§ 6 et 14) unum idemque munus Eretriense intellexisse. Cui rei quod obstare videantur verba *ἄρξας ἐν Ὠρωπῷ*: dictum esse *ἐν Ὠρωπῷ* pro 'ad Oropum'; ac similiter Diodorum

---

[1]) Lys. XII, 42. Thuc. VIII, 64.

bis [1]) dixisse profectos esse Athenienses εἰς Ὠρωπόν pro 'ad Euboeam'.

Atque hoc sane concedendum est Thalheimio verbis οἱ δ' οὐχ ὑπέμειναν.... ὁ δὲ.... δίκην δίδωσι non accusationem propter munus Oropium intentam significari, sed hanc ipsam, in qua oratio habita est, mirumque esse profecto, si per tantum temporis spatium illius muneris rationem nullam reddidisset. Valde tamen idem Thalheimius errat, cum inde munus, quod commemoratur in § 6, idem esse atque Eretriense statuit. Neque enim aut munus Oropium aut res ad Eretriam gestae actionis argumentum praebuerunt, sed utitur eis tanquam exemplis patronus, quibus a crimine liberet Polystratum: quem munus summum cum incommodo reipublicae gessisse verisimile non esse, quippe cum idem neque Oropi praefectus urbem prodiderit, quamvis facile et cum suo commodo id facere potuerit, et postea in pugnis Eretriensibus fortissimum se praebuerit (§ 10 καὶ ἐν μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσιν οὐδὲν ἐξήμαρτεν εἰς ὑμᾶς, ἐν ὀκτὼ δ' ἡμέραις; § 17). Contra si quae Polystrato crimini ab accusatoribus dantur, ea orator certo modo profert, ut § 2 κατηγοροῦσι δὲ αὐτοῦ . . . . . , § 5 καὶ κατηγοροῦσι μὲν αὐτοῦ, ὅτι . . . . . , § 8 ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι . . . . . . , §§ 10, 13, 16 sqq.

Conciderunt igitur, quae de tempore rerum Oropi gestarum Thalheimius statuit: neque notionem ἐν Ὠρωπῷ nisi de urbe ipsa accipi posse Albrechtius (pag. 15) recte demonstravit.

Quae cum ita sint, nihil impedit, quominus dicamus munere praefecti Oropi functum esse Polystratum, cum iam in eo esset, ut populi imperium everteretur. Certe in enarrandis rebus ordinem quendam tenuisse actorem omnino verisimile est, neque cum munera Polystrati ab extremo inde enumerare coepisse idemque suo loco infra attulisse. Verba enim facit de Polystrato primum Oropi duce (§ 6), deinde electore (§ 13), tum senatore (§ 14), denique praefecto Eretriensi (§ 14), quod prorsus convenit rationibus temporum.

[1]) XIII, 34. 36.

Relinquitur quaestio, quonam tempore Polystratus in Euboeam profectus sit.

Atque Thalheimius (pag. 5) eum iam ante quam Thymochares ad defendendam Euboeam avectus est sub finem dominationis quadringentorum [1]), cum navibus ad Euboeam versatum esse concludit e verbis § 17: *ἀλλ' εἴποι ἄν τις, ὅτι κερδαίνειν ἐπιθυμῶν ἐξέπλευσεν, ὥσπερ ἔνιοι ἥρπαζον καὶ ἔφερον.* Nam si cum Thymochare demum labefactato quadringentorum imperio profectus esset, causam futuram fuisse nullam, cur talia crimini darent.

Sed ne hoc quidem probari potest. Immo cum constet tunc demum Polystratum senatorem factum esse, cum potentia quadringentorum fracta esset, cum senatoris munere non plus octo diebus functus sit, non dubitamus, quin maluerit Thymocharem sequi ad Euboeam defendendam quam Athenis manere inter quadringentos. Neque enim ex criminibus illis quicquam peti potest de tempore expeditionis: nimirum facile et Polystrato et aliis, qui tum Athenas relinquebant, crimini dari potuit profectos esse eos quaestus faciendi gratia.

Ceterum quonam munere functus sit Polystratus in classe Euboica, pro certo dici non potest, potestatem aliquam eum habuisse certum est (§ 17 *ἀλλὰ πάντα μᾶλλον κατηγοροῦσιν ἢ εἰς τὴν ἀρχήν*).

Iam, ut summam huius capitis paucis complectamur, Polystratum statuimus functum esse quattuor muneribus hisce:

primum eum, cum in eo esset ut everteretur populi imperium, i. e. hieme a. Ol. 92, 1/411, praefectum Oropi fuisse,

deinde instituto quadringentorum imperio i. e. primo vere electorem (*καταλογέα*) factum esse,

tum labefactata potentia quadringentorum i. e. vere praeterlapso per tribulium suffragia senatorem suffectum esse,

postremo cum Thymocharis classe ad Eretriam navibus praefectum fuisse.

---

[1]) Thuc. VIII, 95.

## II.

Secundo loco, ut erat propositum, disputabimus de litium, quae Polystrato subeundae erant, natura ac ratione.

Constat bis omnino Polystratum in iudicium vocatum esse. — Etenim § 22 haec ait orator: *οὗτος δὲ ὑμῖν δίκην δέδωκεν, οὐδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν, εὐθὺς μετὰ τὰ πράγματα, ὅτε ὑμεῖς τε μάλιστα ἐμέμνησθε τῶν γενομένων.....* Polystratus igitur redintegrato populari imperio in recenti rerum a quadringentis gestarum memoria accusatus et condemnatus est. — Causa damnationis indicatur § 14: *οὔτε πλέον ὀκτὼ ἡμερῶν ἐλθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον ὦφλε χρήματα τοσαῦτα* et ex § 18: *καὶ μὴ θαυμάζετε, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι τοσαῦτα ὦφλε χρήματα· ἔρημον γὰρ αὐτὸν λαβόντες αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν κατηγοροῦντες εἷλον.* — Itaque multa ei imposita esse fertur, quod particeps fuit quadringentorum, cum amici eum adiuvare non auderent. Huc igitur referendae sunt *αἱ πρότερον κατηγορίαι* (§ 11). Addit auctor de reliquis, qui simul cum Polystrato accusati erant, haec (§ 21): *ἐκεῖνοι δὲ σφῶν αὐτῶν προκαταγνόντες ἀδικεῖν οἴχονται, ἵνα μὴ δοῖεν δίκην· καὶ εἴ τινες ἄλλοι ἀδικοῦσιν, ἧττον μὲν ἐκείνων, ἀδικοῦσι δέ, τὸ δέος αὐτοὺς ποιεῖ τότε τὸ ὑμέτερον καὶ τὸ τῶν κατηγόρων μὴ ἐπιδημεῖν, ἀλλὰ στρατεύεσθαι, ἵνα ἢ ὑμᾶς πρᾳοτέρους ποιῶσιν ἢ τούτους πείθωσιν.*

Iam quale fuerit actionis genus, quo Polystratus simul cum aliis condemnatus sit, intellegitur ex § 10: *καὶ οἱ μὲν τὸν βίον ἅπαντα πονηροὶ ὄντες χρηστοὶ ἐν τῷ λογιστηρίῳ γεγένηνται, πείσαντες τοὺς κατηγόρους, οἳ δ' ἀεὶ ὑμῖν χρηστοὶ ἦσαν, οὗτοι πονηροί·* collatis § 7: *καὶ τοὺς μὲν ἀδικοῦντας οἱ κατήγοροι ἐκκλέπτουσιν, ἀργύριον λαμβάνοντες·* et § 15: *οἱ ἠδικηκότες ἐκπριάμενοι τοὺς κατηγόρους οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν.*

Damnatus igitur est in actione rationum reddendarum. — Qua in re quaerendum est, utrum Polystratus ex iure publico aeque atque quivis magistratus rationes reddiderit an examen illud subierit extra ordinem, ut veniam rerumque gestarum oblivionem impetraret, quale quidem trigintavirorum imperio everso factum esse scimus.

Quodsi statuimus Polystratum eodem modo quo omnes deinceps magistratus legitimos Athenis munere exacto rationes reddidisse, sequeretur quadringentos magistratus legitimos iudicatos esse, quod quidem neque verisimile est neque ullo argumento firmatur.

Alio ducunt quae haud multo post trigintavirorum dominationem eversam victor populus actis eorum rescissis iuravit: *καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα· οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν* [1]. Accedit quod in decreto celeberrimo Patroclidis a. Ol. 93, 4/405 [2], cum omnibus oblivio promittitur capite deminutis, tum quadringentis eisque qui facinus quoddam sub paucorum imperio perpetraverant (*καὶ ὅσα ὀνόματα τῶν τετρακοσίων τινὸς ἐγγέγραπται ἢ ἄλλο τι περὶ τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ πραχθέντων ἐστί που γεγραμμένον*) exceptis eis, quorum nomina in columnis incisa erant, quod, ne poenam subirent, urbe egressi erant (*πλὴν ὁπόσα ἐν στήλαις γέγραπται τῶν μὴ ἐνθάδε μεινάντων*).

Quae si recte interpretamur atque cum eis coniungimus, quae auctor orationis de quadringentis in examen vocatis profert, verisimile est licuisse unicuique ex quadringentis ita in urbe manere, ut rite rationes redderet rerum gestarum, itaque Polystratum, cum spes esset, ut supplicium infamiamve evitaret, examen illud subisse.

Omnia autem, quae orator de his profert, optime quadrare ad eam rerum rationem quam alii scriptores memoriae mandaverunt, cum alii satis ostenderunt tum Thalheimius (pag. 9 sqq.).

Ergo Polystratus paullo post redintegratum populare imperium rationes muneris reddidit, qua in actione rationum repetendarum grandi pecunia multatus est.

Quod vero attinet ad posteriorem actionem, in qua oratio habita est, pauca tantum sunt, e quibus de illius causae natura ratiocinari possimus.

---

1) Andoc. 1, 90.

2) Andoc. 1, 78.

Primum huc facit quod identidem repetit orator Polystratum semper optimum civem et virum vere popularem se exhibuisse. §§ 1—4 verba εὔνους τῷ πλήθει certo consilio proferuntur eodemque modo §§ 8, 9; § 13 πῶς δ᾽ ἂν γένοιτο δημοτικώτερος; § 22 ὡς δ᾽ ἦν δημοτικὸς ἐγὼ ὑμῖν ἀποδείξω; § 27 εἰ μὴ εὔνους ἦν τῇ πόλει καὶ ὑμῖν; § 16 de reo affirmatur, εἴ πέρ τι νεωτερίζειν ἐβούλετο εἰς τὸ ὑμέτερον πλῆθος, οὐκ ἄν ποτ᾽ ἐν ὀκτὼ ἡμέραις εἰςελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον ᾤχετο ἐκπλέων; § 7 γνώμην οὐδεμίαν εἶπε περὶ τοῦ ὑμετέρου πλήθους, quae res iterum atque iterum praedicatur (ὁ μηδὲν εἰπών § 10; cf. § 14). Itemque § 19 filius iudices implorat, ut ipsis dent veniam προθύμοις γεγενημένοις περὶ τὸ πλῆθος. — Eodem pertinet tota narratio, qua efficere vult tantum abesse, ut reus, qui muneribus multis functus sit, unquam rempublicam everterit vel minuerit, ut cum magno reipublicae commodo magistratus gesserit (καὶ κατηγοροῦσι μὲν αὐτοῦ ὡς πολλὰς ἀρχὰς ἦρξεν, ἀποδεῖξαι δὲ οὐδεὶς οἷός τέ ἐστιν ὡς οὐ καλῶς ἦρξεν· ἐγὼ δ᾽ ἡγοῦμαι οὐ τούτους ἀδικεῖν ἐν τοῖς πράγμασιν ἐκείνοις, ἀλλ᾽ εἴ τις ὀλίγας ἄρξας μὴ τὰ ἄριστα ἦρξε τῇ πόλει· οὐ γὰρ οἱ καλῶς ἄρχοντες προὐδίδοσαν τὴν πόλιν, ἀλλ᾽ οἱ μὴ δικαίως § 5). — Sane cum Polystratus neque ante eversum populare imperium tanquam praefectus Oropi salutem reipublicae prodiderit et in pugnis Eretriensibus fortissime pugnaverit, probabile non videri eundem Polystratum graviter in rempublicam peccavisse (§. 6. 14). Atque summam criminum in eo verti vidimus, quod Polystratus inter quadringentos senator fuit: quod diluit auctor, cum neminem suspicari posse contendat eum, qui per septuaginta annos nihil in rempublicam commisisset, eundem intra octo dies summo damno cives affecisse (§ 10 καὶ ἐν μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσιν οὐδὲν ἐξήμαρτεν εἰς ὑμᾶς, ἐν ὀκτὼ δ᾽ ἡμέραις;).

Ceterum tres filii huic patris iudicio intersunt (ἀλλ᾽ ὑμῶν δεόμεθα τρεῖς ὄντες . . . . . . § 35), qui verentur, ne ipsi quoque patre damnato infamia afficiantur (ἡμῖν δὲ οὐ δώσετε ὑμᾶς αὐτοὺς ἐπιτίμους ὑμῖν γενέσθαι § 19; μὴ ἡμᾶς ἀντὶ μὲν ἐπιτίμων ἀτίμους ποιήσητε, ἀντὶ δὲ πολιτῶν ἀπόλιδας § 35).

Iam vero cum constet crimina Polystrati non referri nisi ad tempus quadringentorum, cum videamus id maxime Polystrato obici, quod senatoris et electoris munera gesserit atque ita, ut rempublicam proderet, cum ceterorum quoque quadringentorum mentio fiat ita, ut alii simul culpa liberentur (velut § 1 *οἱ μὲν γὰρ ἐπιβουλεύσαντες ἦσαν αὐτῶν, οἱ δ' ἵνα μήτε τὴν πόλιν μηδὲν κακὸν ἐργάσαιντο μηθ' ὑμῶν μηδένα, ἀλλ' εὖνοι ὄντες εἰςῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον, ὧν εἷς ὢν οὑτοσὶ τυγχάνει Πολύστρατος*; § 16 *ἀλλ' οὐχ οὗτοι ἀδικοῦσιν* (sc. omnes quadringenti), *ἀλλ' οἳ ὑμᾶς ἐξηπάτων καὶ κακῶς ἐποίουν· οὗτος δ' ἐν πολλοῖς δηλοῖ ὑμῖν ὅτι, εἴπερ τι νεωτερίζειν ἐβούλετο εἰς τὸ ὑμέτερον πλῆθος, οὐκ ἄν ποτ' ἐν ὀκτὼ ἡμέραις εἰςελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον ᾤχετο ἐκπλέων*) — haec omnia diligenter examinantibus dubium esse nequit, quin actio haec non minus atque prior illa intenta sit propter munera tempore quadringentorum gesta.

At quomodo ex iure publico Atheniensium fieri potuit, ut de eadem re bis iudicaretur?

Certe non potuit rescindi iudicium nisi duobus modis: aut exceptione (quod dicitur *τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαχεῖν*) aut actione *ψευδομαρτυριῶν*[1]. De exceptione autem illa ne cogitari quidem potest, neque cogitavit quisquam. Contra orationem Polystrateam habitam esse in actione *ψευδομαρτυριῶν* sibi persuasit Roehlius[2]. Qui rem sic exponit: Polystratum in actione rationum repetendarum propter complura crimina grandi pecunia multatum esse; priusquam vero exacta nona prytania a. Ol. 92, 2 bona eius publicarentur, filios, ne ipsi quoque patre mortuo infamia afficerentur, iudicium rescindere studuisse ita, ut in accusatores (*συνηγόρους*) prioris causae instituerent actionem *ψευδομαρτυριῶν* (cf. § 18).

At Roehlium universa orationis ratio fugit. Nam in hac actione Polystratus certe neminem in iudicium vocat, quod necessarium est in actione *ψευδομαρτυριῶν*, sed ipse appellatus causam dicit. Videmus enim oratorem ubique defen-

---

1) Meier und Schoemann Attischer Process pag. 755.

2) Zeitschrift für Gymnasialwesen 1874, pag. 777.

dere Polystratum a criminibus, nusquam invehi in quemquam. qui falsum contra patrem testimonium dixerit. — Neque verbis § 18 quae Roehlius affert quicquam efficitur. Ubi quae leguntur *τῷ* (sc. Polystrato) *μὲν γὰρ οὐδ᾽ εἴ τις εἶχε μαρτυρίαν, εἶχε μαρτυρεῖν διὰ τὸ δέος τὸ τῶν κατηγόρων, τοῖς δὲ καὶ τὰ ψευδῆ δεδοικότες ἐμαρτύρουν*, eis filius Polystrati, ut damnationem patris explicet, praetendit reliquos accusatos falsis testimoniis absolutos esse. — Denique ut *γραφὴ ψευδομαρτυριῶν* contra actores — qui sunt ex Roehlii sententia *συνήγοροι* a. Ol. 92, 1 — institueretur fieri omnino non poterat, cum in tali actione vocari in iudicium constet testes.

Quae cum ita sint, omnes deinceps viri docti, qui rem tractaverunt, Roehlii sententiam reiecerunt [1].

Post Roehlium Thalheimius difficultates alium in modum tollere studuit. Qui sic statuit (pag. 13 sqq.): multam Polystrato in priore actione impositam eo tempore, quo oratio habebatur, nondum solutam esse, de eadem igitur multa agi in lite posteriore.

Sed quae vir ille doctus affert argumenta ad evincendam sententiam eius parum valent: ut mittam, quod ipsa quam Thalheimius ponit, rerum condicio sola coniectura nititur neque ullo loco diserte firmatur.

Nam quod verba § 15 *πῶς οὐκ ἂν δεινὰ πάσχοιμεν* negat intellegi posse nisi de multa, quam spes sit remissum iri — alioqui ponendum fuisse *πῶς οὐκ ἂν δεινὰ πεπόνθαμεν* —: ad verba illa rectius protasis talis suppletur ‘si etiam in hac actione damnemur vel multemur’. Quemadmodum est § 19 *ἦ δεινά γ᾽ ἂν πάθοιμεν, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ τοὺς μὲν οὐχ οἵους τε ὄντας ἐξάρνους εἶναι μὴ οὐ χρήματα ἔχειν ὑμῶν, τούτους μὲν ἀφεῖτε ἀνδρὶ ἐξαιτουμένῳ, ἡμῖν δὲ αὐτοῖς τε προθύμοις γεγενημένοις περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον καὶ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ὑμᾶς ἠδικηκότος οὐ χαριεῖσθε.*

---

[1]) cfr. praeter ceteros Hug, Ienaer Literaturzeitung 1876, n. 546 et Stutzer ‘Drei epitomierte Reden des Lysias’ Herm. XIV pag. 547.

Non magis summam pecuniae solutam non fuisse efficitur e verbis § 18: *καὶ μὴ θαυμάζετε, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι τοσαῦτα ὦφλε χρήματα· ἔρημον γὰρ αὐτὸν λαβόντες αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν κατηγοροῦντες εἷλον*, quibus excusat orator patrem, quod tanta multa affectus sit, cui si filii affuissent, futurum non fuisse, ut tam graviter in eum animadverteretur.

Neque recte verbis § 6: . . . . *ὁ δὲ ἡγούμενος μηδὲν ἠδικηκέναι δίκην δίδωσι* firmari hac actione quasi continuari priorem causam supra p. 14 comprobavimus.

Denique cum § 33 dicatur *ὥστε αὐτῶν τούτων ἕνεκα πρόθυμοί ἐσμεν εἰς ὑμᾶς, εἰδότες ὅτι χρήματα μὲν ἡμῖν οὐκ ἔστι πόθεν ἐκτίσωμεν. αὐτοὶ δὲ πρόθυμοι ὄντες εἰς ὑμᾶς ἀξιούμεθα εὑρίσκεσθαι χάριν*: his verbis nisus est Thalheimius, ut demonstraret sperare filios bona ipsorum voluntate in rempublicam multam patri impositam rescissuros se esse. Neque enim de multa quae immineat nec vero imposita sit quemquam dicere se ideo reipublicae vel maxime studere. cum non ignoraret multam se solvere non posse. — Sed illis verbis potius spes exprimitur ipsis multam impositum non iri ab iudicibus, cum et ubique reipublicae operam enixe darent et re familiari propter bellum funditus perdita non habituri essent damnati, unde infamiam effugerent (§ 32 *περὶ ἡμῶν γάρ ἐστι ψῆφος ὑμῖν καὶ οὐ περὶ χρημάτων*).

Hac vero opinione veram actionis rationem obscuravit Thalheimius. Qui contendit (pag. 15), cum Polystratus multam in priore lite impositam non solverit, orationem habitam esse videri in actione *ἀπογραφῆς* contra Polystratum instituta. Namque ex iure Attico, si quis multam usque ad nonam prytaniam non solvisset, res eius publicandas fuisse; decreto autem opus fuisse, quo declararetur legem in hac re valere. Quodsi homo privatus ut bona publicarentur postulavisset, is vero, cuius bona publicanda erant, repugnavisset, iudicio res decernendas fuisse. Itaque hanc actionem, cum de publicatione bonorum intenta sit, fere eandem rationem habere ac litem priorem. Certe de re

iudicata actionem iterum institutam esse veri dissimile non videri turbidis illis temporibus.

Haec coniectura de actione repetita quam non probabilis esset iam Roehlius agnovit [1]. Namque post nonam prytaniam, si quis non solverat, non nova actio deferebatur *ἀπογραφῆς*, sed undecimvirorum erat eorum, qui in tabellis praefectorum aerarii (*τῶν ταμιῶν*) inscripti essent tanquam debitores publici, bona exigere et publicare. — Sane Thalheimius (pag. 16 sqq.) duas affert orationes, quibus, ut sibi persuasit, evincatur fieri potuisse, ut legitima sententia de publicandis bonis non rata fieret nisi nova lite intenta: Demosthenis orationem LIII et Lysiacam IX. Quarum neutra cum hac lite comparari potest. Nam secundum Demosthenis orationem LIII bona Arethusii publicata erant, quod lite, quam Apollodorus in eum intenderat, damnatus multam non solverat. Apollodorus *ἀπογραφήν* instituit, quam non Arethusius impugnavit, sed Nicostratus, qui affirmat tres ipsius servos ut Arethusii in indicem relatos esse: contra illum igitur orator *ἀπογραφήν* defendit, non contra Arethusium.

Neque magis quadrat ad Thalheimii sententiam oratio Lysiaca habita pro Polyaeno. Polyaeno enim militi emerito iniuriarum a strategis multa imposita est, nec tamen exacta, sed in album relata et praefectis aerarii (*τοῖς ταμίαις*) commissa, qui quidem causa cognita poenam suo periculo remittunt. Strategi vero indignati, quod Polyaenus poenam non solvit, indicem bonorum (*ἀπογραφήν*) detulerunt ad undecimviros. Strategorum nisi interfuisset Polyaenum ipsum damnari, rectius illi egissent praefectos aerarii in ius vocando. — Polyaenus autem, cum debitor reipublicae non iam sit, causam dicit.

Denique quod Thalheimius hoc quoque ad probandam suam opinionem affert (pag. 18), quod oratio pro Polystrato habita in ea parte corporis Lysiaci locum habeat, quae sit de publicandis bonis, quo in argumento versantur orationes XVII—XXI, huic ratiocinationi vereor ut ipse multum tri-

---

[1] Zeitschrift für Gymnasialwesen, Iahresbericht 1877, pag. 41.

buerit. — Namque Lysiacae orationes quam male saepe ab editoribus antiquis intellectae fuerint orationum XXVII et XXX inscriptiones, denique oratio XVI a XXV disiuncta docent.

Nullo igitur modo probatur causam dicere Polystratum in actione *ἀπογραφῆς*. — Quapropter res mihi denuo esse examinanda videtur.

Atque cum alteram actionem non minus quam priorem pertinere ad rationes propter res quadringentorum tempore gestas Polystrato reddendas viderimus, meum in usum vertere libet, quae de rationum reddendarum modo Meier-Schoemann [1]) et R. Schoell [2]) disputarunt.

Secundum Schoellium duplex actio rationum reddendarum distinguenda est: compendiaria euthynarum et ordinaria *γραφὴ περὶ εὐθυνῶν*.

Primum enim compendiarium examen institui solitum est in heliastarum iudicio 'eoque omnes deinceps magistratus et curatores exacto officii tempore a logistis deduci, ut accusandi, si quis vellet, copia daretur'. Qua in re penes decem logistas erat et introducere magistratum et iudicio praesidere, actores vero erant euthyni et assessores eorum. — Iam vero praeter compendiariam istam actionem euthynarum etiam cuivis civi licebat de magistratu rationum iudicium postulare idque aliquanto temporis spatio post munus exactum fieri poterat, cum rationum per compendiariam actionem relatio intra triginta dies post honorem depositum fieri deberet. — 'Itaque in Patroclidis decreto [3]) praeter rationes ab euthynis praeiudicatas etiam a c c u s a t i o n e s s c r i p t a e, quae quidem nondum ad iudices delatae sint, deleri iubentur' (*ὅσων εὔθυναί τινές εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθύνων καὶ τῶν παρέδρων, ἢ μήπω εἰσηγμέναι εἰς τὸ δικαστήριον γ ρ α φ α ί τ ι ν έ ς εἰσι περὶ τῶν εὐθυνῶν*). — Ab euthynorum igitur praeiudicio distinguuntur *γραφαὶ περὶ εὐθυνῶν*, quae quidem sunt actiones hominum privatorum

1) Attischer Process pag. 221 sqq.

2) de synegoris Atticis, Ienae 1875, pag. 10 sqq.; cf. Sauppe, Ienaer Literaturzeitung, 1876, n. 7.

3) Andoc. 1, 78.

contra magistratum munere perfunctum intentae post relatas apud logistas rationes.

Quanquam dubitari potest, num eiusmodi actiones simpliciter εὐθυνῶν γραφαί appellatae sint; probabile videtur actores, qui magistratum quendam denuo rationes reddere voluerunt, certa crimina certoque nomine insignia praetendisse.

Qualis actio fuit Demosthenis contra Aeschinem de falsa legatione (περὶ παραπρεσβείας). Nam tribus annis post quam Aeschines legitime rationes apud heliastas de legatione Philippica reddiderat, Demosthene accusante denuo de eadem re causam dixit. Neque tamen sumendum est saepe factum esse, ut γραφὴ περὶ εὐθυνῶν post tantum temporis spatium praeterlapsum institueretur; nam quousque in illa causa adversariorum dux grassatus sit, ne actio in iure fieret, nota est res. — Luculentum igitur exemplum est oratio de falsa legatione fieri potuisse, ut de munere gesto post compendiarium iudicium ordinaria actio institueretur, si quis accusator prodiret.

Ad idem vero genus actionum pertinet oratio Lysiae contra Eratosthenem trigintavirum. Ab Eratosthene enim, qui ea condicione in urbe manserat, ut rationes muneris rite redderet (cf. supra p. 17), Lysias non in compendiaria illa actione, sed per libellum (γραφὴν περὶ εὐθυνῶν) rationes poscit, quod Polemarchum ipsius fratrem indicta causa trucidari iusserit (§§ 1—36), idemque unus fuerit ex illis, qui et ante tempus trigintavirorum et ipso tempore imperii paucorum rempublicam prodiderint (§§ 37—100).

Hac igitur neque alia ulla ratione, ut mihi quidem videtur, explicari potest, quod Polystratus, qui examen in logisterio institutum subierat et causa ceciderat, denuo a nescio quo de eisdem fere rebus in ius vocatur. — Namque pariter ut Aeschines, Eratosthenes, alii, qui multorum odium in se converterant, Polystratus quoque, cum esset unus ex quadringentis, identidem ab adversariis accusari potuit.

Quam ad rem optime quadrat, quod ipsi quoque filii verentur, ne patre damnato infamia afficiantur (§ 19, 35).

Nam in eis maxime causis, ubi quis reipublicae salutem prodidisse vel munere quodam ad leges corrumpendas evertendumque populare imperium abusus esse convictus est, liberi quoque patris poenae participes facti et capitis deminuti sunt [1].

Restat ut quaeramus, quale nomen fuerit actionis Polystrateae. Atque Harpocrationem v. *Πολύστρατος* secutis compluribus videbatar oratio fuisse *δήμου καταλύσεως ἀπολογία* [2]. Quae quidem inscriptio, cum minime abhorreat ab argumento et actionis genere, mihi quoque non inprobabilis videtur [3].

Itaque, ut summam huius capitis paucis repetam, Polystratus redintegrato populari imperio in rationum reddendarum actione damnatus et multatus est, sed idem aliquanto post denuo a nescio quo adversario *γραφῇ περὶ εὐθυνῶν* in ius vocatus de muneribus tempore quadringentorum male gestis a filio hac oratione defenditur.

## III.

Sequitur ut quaeramus, quo tempore scripta sit oratio. Quam quaestionem quanquam viri docti saepius pertractaverunt, tamen, cum de actionis natura errarent, ne tempus quidem orationis probabiliter definire contigit.

Ac primum quidem terminum post quem oratio habita sit pugnam ad Cynossema commissam viri docti recte agnoverunt. — Nam § 29 orator fortitudinem, quam frater maior natu in Hellesponto exhibuerit, laudibus effert eosque ex iudicibus, qui illi pugnae interfuerunt, testes excitat (*τὸν δὲ πρεσβύτατον ἀδελφὸν αὐτοὶ οἱ συστρατευόμενοι ἴσασιν, οἵτινες ἐνθάδε ὄντες ἦτε ἐν Ἑλλησπόντῳ, ὥστε νομίζειν*

---

[1] cf. Demosth. c. Mid. § 113 *ἐάν τις Ἀθηναίων λαμβάνῃ παρά τινος ἢ αὐτὸς διδῷ ἑτέρῳ, ἢ διαφθείρῃ τινὰς ἐπαγγελλόμενος, ἐπὶ βλάβῃ τοῦ δήμου καὶ ἰδίᾳ τινὸς τῶν πολιτῶν, τρόπῳ ἢ μηχανῇ ἡτινιοῦν, ἄτιμος ἔστω καὶ παῖδες καὶ τὰ ἐκείνου.* c. Aristocr. § 62 *ὃς ἂν ἄρχων ἢ ἰδιώτης αἴτιος ᾖ τὸν θεσμὸν συγχυθῆναι τόνδε ἢ μεταποιήσῃ, αὐτὸν ἄτιμον εἶναι καὶ παῖδας ἀτίμους καὶ τὰ ἐκείνου.*

[2] cf. Scheibe p. LXXXIII. Blass Attische Beredsamkeit I, 501 sq.

[3] cf. § 13 *καίτοι οὐχ οἳ ἂν πλείους πολίτας ποιῶσιν, οὗτοι καταλύουσι τὸν δῆμον, ἀλλ' οἳ ἂν ἐκ πλειόνων ἐλάττους.*

*μηδενὸς ἧττον εἶναι ἀνθρώπων τὴν ψυχήν)*. Quae ad pugnam ad Cynossema mense fere Iulio a. 411 commissam referenda sunt [1]).

Praeterea ad tempus orationis definiendum aliquid profici ex verbis § 19 *εἰ μὲν ξένος τις ἐλθὼν ὑμᾶς ἢ χρήματα ᾔτει ἢ εὐεργέτης ἀναγραφῆναι ἠξίου, ἔδοτε ἂν αὐτῷ* Roehlius [2]) contendit, negavit Albrechtius (pag. 19). Sane respiciuntur peregrini, qui, cum redintegrato populi imperio interfectoribus Phrynichi honores ampli decreti essent, se interfecisse illum professi sunt: qua de re decretum factum est octava prytania a. Ol. 92, 3/409 [3]). Attamen num honores peregrinis nondum dati fuerint, cum haec oratio habita est, quod putat Roehlius, ex ipsis verbis erui non potest, immo non minorem habet probabilitatis speciem brevi temporis spatio post honores impertitos peregrinis haec verba dicta esse.

Plura ex rebus ab oratore in Sicilia gestis (§ 24 sqq.) videntur colligi posse. — Profitetur enim orator in Sicilia stipendia se meruisse inter equites (§ 24 *καὶ ἐμὲ μὲν εἰς Σικελίαν ἐξέπεμψεν* ⟨pater⟩, *ὑμῖν δ' οὐκ ἦν . . . . ., ὥστ' εἰδέναι τοὺς ἱππέας, οἷος ἦν τὴν ψυχήν, ἕως τὸ στρατόπεδον σῶν ἦν)*, tum deleto Atheniensium exercitu Catinam confugisse (*ἐπειδὴ δὲ διεφθάρη καὶ ἀνεσώθην εἰς Κατάνην*). Quae quidem verba recte referuntur ad narrationem Thucydidis [4]), qui Athenienses ad Asinarum flumen victos Catinam se recepisse tradit. Eo autem temporis spatio, quod intercessit inter exercitus Atheniensium interitum et reditum oratoris, haec narrantur gesta esse: primum Athenienses, qui Catinam confugissent, ex hoc oppido in hostium fines incursiones fecisse (§ 24 *ἐληιζόμην ὁρμώμενος ἐντεῦθεν καὶ τοὺς πολεμίους κακῶς ἐποίουν*), postea in Catinensium exercitum receptos esse, ut contra Syracusanos pugnarent (*καὶ*

---

[1]) cfr. Fraenkelius, 'De oratione pro Polystrato habita'. Berolini 1869, pag. 19; Thalheimius pag. 12.

[2]) Herm. XI, pag. 378.

[3]) C. I. A. I, 59; Roehl. l. c.; Frohberger-Gebauer ad Lys. XIII, 71.

[4]) VII, 85 cf. Paus. VII, 16, 4. 5.

ἐπειδὴ Καταναῖοι ἠνάγκαζον ἐκπλεῖν, ἔπλευσα καὶ οὐδενὸς οὐδ᾽ ἐνταῦθα κινδύνου ἀπελειπόμην κτλ.); deinde Syracusanum quendam Athenienses ad Catinam morantes sacramento ad pactionem quandam adigere studuisse (§ 26 ἀφικομένου γὰρ ἐκεῖσε Συρακουσίου ὅρκιον ἔχοντος καὶ ἑτοίμου ὄντος ὁρκοῦν καὶ προσιόντος πρὸς ἕνα ἕκαστον τῶν ἐκεῖ ὄντων, ἀντεῖπον εὐθὺς αὐτῷ, καὶ ἐλθὼν ὡς Τυδέα διηγούμην ταῦτα, καὶ συλλογὴν ἐποίει, καὶ λόγοι οὐκ ὀλίγοι ἦσαν). — Hinc quamdiu orator in Sicilia commoratus sit efficiendum erit. Pacem quidem factam esse inter Catinenses et Syracusanos a. Ol. 92, 1 = 409/8 Diodorus testis est [1]. Immerito autem Fraenkelius (pag. 17) et Thalheimius (pag. 11) contendunt bello Catinensi iam confecto Syracusanos persuadere studuisse Atheniensibus, ut pactionem quandam iureiurando icerent. Nam, ut recte A. Hugius exponit [2], pace facta non erat, cur parvam illam Atheniensium catervam ad pactionem invitarent. cum Athenienses nihil auxilii afferre possent: cum praesertim belli, quod iam per multos annos ancipiti Marte gerebatur, omnes taederet.

Nec tamen Albrechtii sententiae (pag. 19) assentior Catinam illum legatum venisse ad milites mercede conducendos. Vix enim sibi persuadere poterant Syracusani Athenienses, quos bello victos omnibus tormentis affecerant, stipendia apud ipsos facturos esse.

Immo verisimillimum mihi videtur nuntium illum Athenienses in Syracusanorum partes trahere voluisse, ut Catinam proderent. Sane nulla alia ratione explicatur, cur unumquemque militum adierit (προσιόντος πρὸς ἕνα ἕκαστον τῶν ἐκεῖ ὄντων), neque vero cum duce egerit: nec magis intellegitur cur orator summas sibi laudes vindicet, quod rem totam cum ducibus communicaverit atque in contione impugnaverit (ἀντεῖπον εὐθὺς αὐτῷ, καὶ ἐλθὼν ὡς Τυδέα διηγούμην ταῦτα, καὶ συλλογὴν ἐποίει, καὶ λόγοι οὐκ ὀλίγοι ἦσαν· ὧν δ᾽ οὖν ἐγὼ εἶπον, καλῶ μάρτυρας). Haec igitur durante bello Catinensi gesta sunt.

1) XIII, 56.

2) Ienaer Literaturzeitung, 1876, n. 546.

Non magis ex litteris quibus Polystratus monuisse filium dicitur, ne in urbem rediret, priusquam Atheniensium res in Sicilia melius procederent (ὅτε καλῶς ἔχοι τὰ ἐν Σικελίᾳ, ἥκειν), ratione certa concludere licet oratorem usque ad finem belli Catinensis (a. 409/8) ibi commoratum esse. — Itaque nihil obstat, quominus eum aliquanto ante bellum confectum Athenas reversum patrem defendisse statuamus.

Accedit quod orator, ut Fraenkelii verbis (pag. 12) utar, ubicunque exponit, quomodo in quadringentos viros imperio privatos consultum sit, de his rebus ita loquitur, ut eas aut ad proximum aut ad praesens tempus referat (velut § 7, 10, 15, 16, 21).

Porro supra p. 23 comprobavimus orationem Polystrateam pertinere ad γραφὰς περὶ εὐθυνῶν i. e. ad actiones in magistratum munere perfunctum intentas. Atque hoc actionis genus ordinarium intra proximum temporis spatium post munus exactum instituendum fuisse cum per se apparet, tum oratione Lysiae contra Eratosthenem trigintavirum statim post victos expulsosque trigintaviros habita probatur. Neque obverti potest actio Demosthenis et Aeschinis de falsa legatione. Etenim Demosthenes Aeschinem legatione Philippica confecta extemplo in ius vocavit, Aeschinem vero mira res est callido consilio rem eo usque detinuisse, ut actio in iure tribus demum annis post (a. 343) fieret.

Itaque cum quadringentorum imperium sublatum sit initio a. Ol. 92, 2/411 atque Polystratus paullo post (§ 22 εὐθὺς μετὰ τὰ πράγματα) i. e. sub finem aestatis a. 411 in priore actione compendiaria rationum reddendarum damnatus sit, probabile est alteram causam de qua agitur institutam esse circa hiemem a. Ol. 92, 2, ut oratio Polystratea scripta esse videatur initio a. 410.

Reliqua, quae de rebus Polystrati commemorantur, a Blassio [1]) et Thalheimio (pag. 12) satis exposita sunt. Nihil vero in oratione inesse, quod historiae fidei repugnet, immo omnia cum eis, quae aliunde comperta habemus, optime conciliari videmur nobis comprobasse.

---

[1]) Attische Beredsamkeit I, 501 sqq.

## IIII.

Postremo paucis exponendum est de orationis pro Polystrato dispositione et forma.

Atque hoc mirum videri potest, quod haec oratio prooemio plane caret. Etenim orator omissis eis, quibus iudicum animi praeparari et conciliari solent, statim in medias res procedit.

Tractatio haec fere complectitur: Polystratus reus nihil commisit, quo poenae obnoxium se redderet, itaque in priore actione multa parum iusta ei imposita est (§§ 1—29).

A. Polystratum inimicum non esse populari imperio probatur eo,

1) quod tribulium suffragiis electus est (§§ 1, 2),
2) quod neque aetate ea fuit, qua aliquid se profecturum esse speraret (§ 3), neque causa erat ulla aut in ipsius aut in filiorum rebus, cur populare imperium odio persequeretur (§ 4),
3) quod complura munera, quibus functus est, omnia bene gessit (§ 5); velut Oropi praefectus oppidum non prodidit, cum proditionis rei fierent alii, quibus parcunt accusatores pecunia corrupti (§ 6).

B. Polystrato crimini esse nequit, quod partes quadringentorum secutus est.

1) Neque enim pari loco habendi sunt quadringenti omnes, sive sententias in curia dixerunt sive tacuerunt, quod fecit Polystratus (§ 7).
2) Polystratus licet populari imperio studeret, resistere non poterat quadringentis, sed partes eorum sequi cum vitae periculo coactus est (§§ 8—10).
3) Phrynichi amicus non fuit (§§ 11, 12).
4) Elector (καταλογεύς) factus Polystratus pro quinque milibus novem milia designavit; neque id munus suscepit nisi grandi multa imposita (§§ 13, 14).
5) Senator factus post octo dies Eretriam profectus

est, ubi in proeliis navalibus fortissimum se praestitit (§ 14).

C. In priore actione Polystratus poena parum iusta affectus est.

1) Alii poena digniores sunt, qui aut condemnati non sunt aut accusatores corruperunt (§§ 14, 15).
2) Omnino non dignior poena est, qui quadringentis non restitit quam ipsi Athenienses, qui eis obsecuti sunt (§ 16).
3) Polystratus lucri non fuit cupidus: omnino accusatores criminationes non probarunt (§ 17).
4) Reus in priore causa ab amicis destitutus erat, neque accusatores fuerunt integri (§§ 17—19).
5) Athenienses sontibus poenam condonarunt, peregrinos beneficiis afficiunt: parem benevolentiam Polystratus eiusque filii merentur (§§ 19, 20).
6) Sontes aufugerunt et extra Athenas versantur: Polystratus recti sibi conscius in urbe remanserat et recenti etiam tum rerum a quadringentis gestarum memoria damnatus est (§§ 21—23).

D. Polystrati merita et beneficia.

1) Polystratus et ipse multos labores suscepit pro republica (§ 23),
2) et filios ita instituit, ut omnes fortes ac strenuos se exhiberent (§§ 24—29).

Sequitur epilogus, quo orator misericordiam iudicum commovere studet (§§ 30—36).

Haec etsi in universum non inepte disposita videntur, tamen primo aspectu apparet partes orationis non aequo omnes studio tractatas esse. Saepius enim eaedem fere res nec raro alieno loco repetuntur: velut orator invehitur in accusatores § 7, 11, 15, 17, reum opponit reliquis quadringentis § 6, 10, 14, 15, 19; nonnunquam ab altera sententia ad alteram transitum facit priore nondum absoluta (§ 18, 19).

Quas difficultates et in argumenti tractatione et in elocutione conspicuas fuerunt qui ita tollere studerent, ut particularum sive plurium sive paucarum loca mutarent.

Quo ex numero et Kirchnerus[1]) fuit et M. Schmidtius[2]), qui adeo licentius orationem tractavit partibus mire transpositis. Sed ea commenta Thalheimius (pag. 29 al.) et Albrechtius (pag. 26 sq.) ita refutaverunt, ut, quod eorum disputationibus addam, non habeam.

Ipse autem Albrechtius quem quaerit ordinem ita restituit (pag. 42), ut §§ 13—15 post § 6 transponendas esse censeat. Etenim vehementer perturbari singularum partium ordinem, quod orator in § 6 primum Polystrati magistratum, inde a § 13 demum reliquos tractet. Praeterea nonnullas res in § 7 sqq. ita afferri, ut de eis iam expositum esse videatur: quod apte fieri § 13—15 in suum ordinem redactis.

Omitto eiusmodi transpositiones omnino non esse statuendas nisi causa atque ratione depravationis probabili prolata: unde suo iure Roehlius[3]) et Stutzerus[4]) hanc rationem difficultates tollendi reiecerunt. — Sed ipsa, quae Albrechtio offensioni fuerunt, facile explicantur. Neque enim ordo munerum a Polystrato gestorum eo perturbatur, quod orator in § 13 demum reliqua tractat munera, cum § 6 primum Polystrati munus memoretur. Nimirum non agitur de munere Polystrati Oropi gesto, sed de electoris et senatoris muneribus, neque praefecturam Oropi nisi testimonii loco afferri supra probatum est p. 14. Itaque illo loco ne expectari quidem poterat cetera munera statim addi. — Neque magis quae in §§ 7—12 afferuntur iam antea commemorata fuisse oportet. Nam quod dicitur § 7 *καὶ ὁμοίας τὰς κατηγορίας ποιοῦνται τῶν τε εἰπόντων γνώμην τινὰ ἐν τῇ βουλῇ καὶ τῶν μή κτλ.*, auditores, qui et res a quadringentis gestas et priorem actionem optime noverant, non poterant dubitare, quin reus in numero eorum esset, qui in senatu sententiam non dixerant; item quid significarent verba § 10 *ἐν μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσιν οὐδὲν ἐξήμαρτεν εἰς ὑμᾶς, ἐν ὀκτὼ δ'*

---

1) Progr. gymnasii Ohlaviensis a. 1873.

2) Index lectionum aestivarum Ienae 1876.

3) Zeitschrift für Gymnasialwesen, Iahresbericht 1879, pag. 45.

4) 'Drei epitomierte Reden des Lysias' Herm. XIV, pag. 555.

ἡμέραις, licet verbis § 14 nondum auditis ex priore actione unusquisque iudicum intellegebat.

Verum est oratorem non satis distinguere eos, qui in iudicium venire ausi non sint (§ 6), ab aliis, quos per fraudem accusatores liberaverunt (§ 7): qui, ubi primum mentio facta est iudicii (*ὁ δὲ ἡγούμενος μηδὲν ἠδικηκέναι δίκην δίδωσι* § 6), statim transit ad integritatem accusatoribus derogandam. Sed eiusmodi inconcinnitas ad orationis vitia pertinet, qualia Albrechtius ipse recenset (pag. 22, 24 sqq.), non secus atque repetitiones, quae non tolluntur ordine mutato.

Iam examinanda est sententia eorum, qui ad difficultates tollendas statuerunt orationem Polystrateam quae extat non genuinam, sed epitomen esse iam antiquitus a nescio quo grammatico ex pleniore aliquando oratione confectam. Quae coniectura primum prolata est a Roehlio [1] eumque secuti sunt ipse de quo modo dixi Albrechtius (pag. 29 sqq., 1 sqq.) et Stutzerus [2], qui suo quisque modo sententiam illam comprobare studuerunt. Ratiocinantur illi hoc fere modo. Simili ratione atque undecima Lysiaci corporis oratio contracta sit e decima, ex universa vigesimae orationis condicione apparere epitomen eam esse copiosioris et ornatioris cuiusdam orationis deperditae. — Etenim epitomatorem decimae orationis id maxime spectasse, ut partes vel singula verba aut contraheret vel mutilaret, aut plane omitteret: in vigesima nec sententias inter se conexas esse neque earum ordinem integrum videri et singula verba vituperationi obnoxia esse. Praeterea cum in posteriore parte cura et vis rhetorica non desideretur, priorem partem, quae narrationem et argumentationem continet, brevitate atque obscuritate quadam insignem esse.

Cui sententiae in universum obverti potest de ratione epitomatorum ea tantum condicione certi aliquid statui posse, si plures epitomae orationum, quae diversa argumenta habent, servatae essent: id quod ipse Stutzerus concedere videtur

---

[1] Zeitschrift für Gymnasialwesen, Iahresbericht 1873, pag. 3 sqq.
[2] l. c. pag. 545.

l. c. pag. 522. Gravius est, quod ne hoc quidem modo ulla difficultas tollitur. Cuius rei ipse Albrechtius (pag. 41) testis est, cum ne in epitoma quidem vereatur confugere ad rationem illam incertam ordinis singularum partium permutandi.

Quodsi orationem undecimam cum nostra comparamus, differunt inter se pluribus rebus. Velut in oratione undecima testimonia omnino non significantur, desunt nomina propria atque appellationes iudicum, quae quidem omnia adhibuit auctor orationis Polystrateae.

Neque aliter de illa parte argumentationis Albrechtii et Stutzeri sentio, qua exponunt eo, quod prior pars orationis brevitate et obscuritate excellat, in posteriore maior cura conspiciatur, manifestum esse rhetorem quendam retractasse orationem. Cum enim causae status atque argumentatio non clare et distincte explicata sint, statuendum esse epitomatorem, qui eis solis partibus orationis delectaretur, ubi rhetorica ars magis excelleret, narrationem et argumentationem contraxisse vel obiter tractasse.

At haec quoque facile explicantur, si in animum revocamus, qua occasione oratio Polystratea habita sit. Nam cum res in compendiaria euthynarum actione, qua damnatus est Polystratus, iam satis expositae essent, cum quadringentorum facinora omnino pervulgata essent, oratori, praesertim qui dicendi facultatis non nimis peritus esset, in tractandis rebus, quae Polystrato obiciebantur, pressius verba facere licebat. Contra idem epilogo non sine causa operam enixius dedit, ut expositis beneficiis Polystrati et filiorum commiserationem iudicum moveret. Atque ad hanc sententiam quadrat, quod ad haec merita illustranda afferuntur testimonia (§§ 25, 26, 28, 29), desunt, ubi crimina accusatorum in Polystratum refelluntur. Omnino tenendum est in hac quidem parte defensionis sollemni, quae versatur in meritis rei praedicandis, imperitioribus quoque exempla idonea multa quae sequerentur praesto fuisse.

Sane non video, quidnam lucremur, si orationem epitomen esse sumamus. Nam difficultates, quae in rerum narratione insunt, quatenus ad historiam et antiquitates

spectat, non tolli tali coniectura Albrechtius et Stutzerus satis ostenderunt, cum in eis explicandis parum proficerent. Velut quomodo fieri potuerit, ut Polystratus a tribulibus creatus esse diceretur, huiusmodi ratiocinatione non explicatur. — Immo contra severam rationem pugnat ista opinio: nimirum qua non aliud assequaris, nisi ut, quidquid placet recteque dictum videtur, id oratori tribuere liceat, quae displicent neque satis intelleguntur, ad epitomatorem secure referas.

Idem valet, si difficultates in elocutione positas spectamus. Namque Albrechtius (pag. 29) et Stutzerus (l. c. pag. 554), qui orationem Lysiacam esse voluerunt, omnia quae a Lysia aliena sunt in epitomatorem transferunt. Sed omnino quaestio, utrum Lysias auctor sit necne, distinguenda est ab altera quaestione, utrum oratio integra sit an contracta ab epitomatore.

Ad proprietates illas dicendi quod attinet, permulta sane insunt in oratione, quae ad Lysiacum sermonem quadrent [1]. Contra nihil gravius afferri posse videtur, quod proprium sit soli sermoni Lysiaco neque idem etiam apud alios oratores Atticos inveniatur [2]. Immo complura a Lysiaco usu abiudicanda sunt, quae eadem extant apud Polystrati aequales, veteres illos oratores Atticos, quorum in numero ex ipsis temporum rationibus orator habendus est. — Velut eorum verborum, quae apud Lysiam frustra quaeras (Albrecht. pag. 59), maior pars ab aequalibus Polystrati auctoribus, Antiphonte et Andocide, usurpata est: cf. § 16 *νεωτερίζειν* (Ant. 2 δ 9), § 17 *οὐδαμῇ* (And. 2, 9), § 23 *παρασκευάζειν τινά* (And. 1, 123), § 27 *ἐπιστέλλειν* Ant. 1, 30), § 35 *ἄπολις* (Ant. 2 β 9), § 36 *διακωλύειν* (δ. μὴ c. inf. Ant. 5, 82), § 27 *καὶ ἔτι* (Ant. 6, 31, And. 2, 17), § 32 *περὶ ἡμῶν.... καὶ οὐ περὶ χρημάτων* (Ant. 2 β 10, 3 γ 1. 4 β 4, 6, 8, γ 3, δ 4, 8). — Neque desunt apud illos scriptores formulae velut § 11 *ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ* (And. 1, 26, 35, 55), § 12 *ὁμο-*

[1]) Albrecht pag. 45, Stutzer pag. 555 sq.

[2]) Roehl, Zeitschrift für Gymnasialwesen, Iahresbericht 1879, pag. 45.

λογεῖν = congruere (And. 3, 12), § 27 σκέψασθε δή (σκεψώμεθα δή And. 3. 27), § 31 καὶ ἀξίαν (Ant. 4 δ 6), § 35 ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας (τὴν τιμωρίαν Ant. 1, 5). Ne ea quidem verba vel formulae, quae apud illos scriptores non extant (Albrecht. pag. 40), ab antiquiore sermone Graeco vel a dictione Attica aliena sunt; certe non probant epitomatorem posterioris aetatis orationem retractasse. Nam adiectivum ἔξαρνος cum duplici negatione μὴ οὐ coniunctum (§ 19) quanquam non extat apud illos scriptores, at verbum ἀπαρνεῖσθαι cum duplici negatione adhibuit Plato [1]; atque licet χάριν εὑρίσκεσθαι (§ 33) non inveniatur, at εὑρίσκεσθαι ἄδειαν (And. 1, 15), σωτηρίαν et similia saepius comparent. — Neque plus probat formula ἁρπάζειν καὶ φέρειν (§ 17): quis enim ex grammaticis, si ἄγειν καὶ φέρειν scriptum invenisset, usitatissimam formulam mutavisset in ἁρπάζειν καὶ φέρειν? Atque extat altero loco (§ 28) ἄγειν καὶ φέρειν.

Quae cum ita sint, Albrechtius et Stutzerus non comprobaverunt orationem Polystrateam epitomen esse posteriore aetate ex genuina Lysiaca contractam: immo apparet orationem ea qua traditur forma ab ipso auctore esse profectam. Neque video, quid repugnet sententiae auctorem artis oratoriae minus peritum res pro suo ingenio conscripsisse eundemque nonnullos locos vel ornamenta orationis non de suo, sed e memoria forensium actionum sive ex aliorum libellis desumpsisse.

Ne repetitiones quidem, quas notaverunt viri docti, in eiusmodi sive homine sive causa offensionem habent. Nam cum Polystratus in priore actione, quae instituta erat de eisdem fere rebus, damnatus esset, ex re erat auctoris identidem premere plurimos ex quadringentis poenas non luisse, Polystratum popularis imperii adversarium non fuisse, denique ipsos accusatores integros non esse.

Relinquitur sententia eorum, qui orationem δευτερολο-

---

1) Gorg. p. 461c: τίνα οἴει ἀπαρνήσεσθαι μὴ οὐχὶ καὶ αὐτὸν ἐπίστασθαι τὰ δίκαια καὶ ἄλλους διδάξειν, cf. p. 461b.

*γίαν* esse statuerunt[1]. Qui si quidem arbitrantur obscuritatem illam quam dicunt orationis inde excusari, quod in *πρωτολογίᾳ* nonnullae res fusius expositae sint, id minime probo: modo meminerimus oratorem verba facere de rebus iam antea in priore actione expositis. Immo, si res a patre gestae iam in *πρωτολογίᾳ* enarratae essent, valde miraremur, cur haec omnia iterum in hac filii oratione diserte proferrentur. Deinde nusquam respiciuntur neque prior actor neque res ab eo expositae, neque eliguntur certae orationis partes accuratius illustrandae: qualia indicia sunt *δευτερολογίας*. — Itaque haec quae superest oratio ea ipsa continet omnia, quae pro Polystrato in hac actione a filio patris senis vicem agente proferenda erant, neque certe eiusmodi statuenda est *πρωτολογία*, in qua vel eadem vel alia copiose exposita fuerint.

Quanquam hoc sane concedendum Blassio[2], Polystratum reum in ipsa actione, ut legi satisfaceret, ante filii orationem verba fecisse. Ille igitur paucis censendus est summa crimina refutasse, deinde a iudicibus petisse, ut filio pro se orare liceret: qui quidem synegoria habita, quae primaria est actio, patrem defendit. Atque hac ipsa re id quoque explicatur de quo supra p. 29 diximus, quod deest orationis prooemium.

Iam quaeritur, quisnam auctor fuerit orationis. Nam a Lysia quidem abiudicandam eam esse cum ex eis, quae modo exposuimus, tum ex graviore causa probatur, quam adhuc idoneis nullis argumentis refutatam esse puto: quod Lysiam scimus orationibus aliorum causa conscribendis operam non dedisse ante tempus trigintavirorum. Eo enim modo intellegenda sunt verba Lysiae quae extant in oratione contra Eratosthenem habita a. 403 (XII, 3: *ἐγὼ μὲν οὖν οὔτ' ἐμαυτοῦ πώποτε οὔτε ἀλλότρια πράγματα πράξας νῦν ἠνάγκασμαι . . . . . κατηγορεῖν*, quae significare non possunt quod Albrechtius (pag. 62) sibi persuasit: 'ego, qui

[1]) Scheibe, Lysiae orationes pag. LXXXIII. Blass, Attische Beredsamkeit I, 503, Thalheim. pag. 37.

[2]) l. c. pag. 503.

neque in meis ipsius neque in aliorum causis in forum prodii sqq.' Sed quaecunque ad hanc quaestionem pertinent, a Fraenkelio [1] satis copiose atque diserte exposita sunt.

Ergo quid relinquitur, nisi ut statuamus orationem Polystrateam ab oratore aequali conscriptam, postea non maiore quam alias orationes iure in corpus Lysiacum insertam esse? Qui orator ut tempore ita dicendi genere proxime abest ab Antiphonte, procul abest a Lysia.

Habemus igitur oratorem, si non disertum et copiosum, at non ab omni institutione oratoria alienum. Qui quae contra artis rationem admisit quaeque in partibus digerendis rebusque exponendis minus bene administrasse censendus est [2], ea ex artis oratoriae condicione illo tempore vix excoli coeptae excusationem habent; eademque vitia etiam in aliis illius aetatis orationibus comparent, ex quibus sufficit nominasse orationem contra Andocidem a. 399 habitam, quae perperam inter Lysiacas relata est. Quis vero orationem Polystrateam conscripserit, definiri nequit.

---

[1]) De oratione pro Polystrato habita, Berolini 1869, pag. 35 sqq., 21 sqq.

[2]) Blass. l. c. pag. 506; Thalheim. pag. 37 sqq.